Remington (Thos)

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE

# Quatuor Vitae Gradibus.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS REMINGTON,
BRITANNUS,
Soc. Med. Reg. Edin.
Nec non
Societ. Phyſ. Sodalis.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

——Macies et nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.

HOR. Lib. 1. Ode 3.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXV.

THOMAS REMINGTON,

COLENDISSIMO ET AMICISSIMO DOMINO,

DOMINO FRANCISCO BACON,

ARMIGERO,

SALUTEM.

*Ea est tecum mihi necessitudo, ut cum libellum hunc in lucem edam, sub nullius potius quam sub tuis auspiciis illum prodire malim. Novi amicitiam tuam; neque sine causa confido eum tantam laetitiam et jucunditatem tibi allaturum esse, quantam mihi gloriam et utilitatem afferre videbis. Sin autem, averso Apolline, almae Academiae Edinensis non satisfecero, tu idem qui in partem laetitiae venturus esses, tuis doloribus et conciliis consolationem feres.*

Dabam Londini,
Die 12mo Septembris,
Anno Dom. 1783.

# TENTAMEN MEDICUM,

## INAUGURALE,

DE

# QUATUOR VITÆ GRADIBUS.

QUONIAM instituta et leges celeberrimae ac eruditissimae Academiae Edinensis, in qua medicinae studiis imbutum fuisse honori mihi duco, omnibus gradum in ordine medicorum ambituris thesim quamdam imperant, iis potius legibus ac institutis morem gesturus, quam mea sponte vestram laudem captaturus, hunc qualemcunque libellum ad vos, Doctores ornatissimi, mittendum statuo.

Dum mei tenuitatem ingenii, dum vestram auctoritatem dignitatemque perpendo, multa sunt quae trepi-

dantem ab incoepto ſcribendi munere deterrere poſſint.

Verumenimvero, quantum illa timoris, tantum veſtra, quae omnibus nota eſt, erga tyrones humanitas, mihi affert audaciae. Intelligitis enim, et ipſi quidem ſtatuiſtis, lauream nos Apollinarem, filii potius Æſculapii quam ſororum auſpiciis, affectare oportere, nec ad conſiliandum veſtrum favorem neceſſe habere, tum medicinae tum eloquentiae eſſe conſultos. Ignocetis, Doctores ornatiſſimi, ſi quid minus eleganter, ſi quid minus concinne a me dictum fuerit, dummodo a veritate notiſque medicinae principiis non abhorruerit. Noſtis enim medico adoleſcenti quantulum ſuppetat temporis ad eos libros evolvendos, quorum lectione aut venuſtas in excogitando, aut elegantia in ſcribendo, comparari ſolet. Non apud vos, ut in multis academiis fieri ſolet, ad honorum gradus conſequendos praeſtantiſſimae artis principia primoribus tantum labris deguſtaſſe ſat erit: Altiores hauſtus imperatis; *periculoſae plenum opus aleae* aggredimur.

Multa ſunt volumina perlegenda, doctiſſimae lectiones audiendae, experimenta capeſſenda et explicanda, aegri

gri visitandi, ut, quae auribus perceperimus, oculorum etiam certitudine et quotidiano usu confirmare valeamus. Haec qui faciunt adolescentuli, non illis profecto, nisi paucis, quos aequus amavit Apollo, styli etiam perpoliendi otium erit.

Ut veteres illos Hippocratem, Galenum, atque elegantem Celsum praeteream, ut nihil de nostratibus dicam Sydenhamo, Meado, Friendio, innumerisque aliis,

'Quae regio in terris vestrum non plena laborum?'

Hic studio indefesso et experimentis accuratissimis nervosi systematis et actiones enucleavit; ille nosologii methodum, alter physiologiam, denique alii alias medicinae partes ita illustrarunt, ut in remotissimis exterarum nationum academiis, nemo sit etiam mediocriter in rebus medicis versatus, qui eas non legerit, relegerit, approbarit. At vero, ut de meipso loquar, cum quas ludo, cum quas somno, cum quas reliquis studiis horas furari licuerit, eas perfecto omnes vestris tractatibus evolvendis impendendas esse putabam, impendebam; atque hoc affirmo, et hoc, pace vestra, aliorumque dicam nullum mihi esse fructum ampliorem quam eum, quem ex vestris operibus consecutus sum. Recto ergo,

si

ſi quid ſcientiae in me eſt, ſi quid ſcribendo depromere poſſum, vobis oſtendere potiſſimum enitar, qui et plurimum ad eam ſcientiam veſtris laboribus contuliſtis, et propter eam, me ad optatiſſimum, modo meritus fuero, gradum honoris veſtris ſuffragiis graviſſimis elaturi eſtis. Eam quidem materiam elegi, quam et omnibus utilem, et vobis lectu jucundam, et mihi ad ſcribendum non infoecundam futuram eſſe confido. Eam autem omnem in quatuor partes dividam; in prima quarum de infantia; in ſecunda de pueritia; in tertia de virili aetate; et in quarta de ſenectute, tractabo.

Poſtremo, quoniam multa ſunt quae ſexui tantum muliebri conveniunt, capitulum de iis ſpeciatim adjungam.

## INFANTIA.

Proh, quanta eſt praeſtantiſſimae artis utilitas! vel naſcentes medicorum opem imploramus: Prius medicis quam nutricibus, prius ablutionibus ſecundum artem, quam pannorum involucris, opus eſt.

Humor

Humor craſſus, quo infans recens natus polluitur, extemplo mixtura ex parte una vini et duabus aquae, vel decoctione florum chamaemelorum tepida et ſaponis eluatur; poſt paucos autem a partu dies, aqua frigida, ſpongio, primum capiti, deinde caeteris (evitata tamen fontanella) membris applicetur. Haec ablutio, quaecumque ſit anni tempeſtas, quotidie adhibenda eſt; quinetiam, modo faveat aura, infantem in aquam frigidam immergere multum proderit: Ex hoc enim ſudor promovebitur, vigebit ſanitas, vires confirmabuntur. Nec tenerae genetricis lacrymae curantor, nec clamores audiuntor; immerſus aquis infans aſperioribus jam nunc formator exercitiis, nec calido nimis veſtitu, nedum conſtrictis arcte faſciis involvitor. Improbam conſuetudinem, ex matrum teneritudine, nutricum ſegnitia ortam, philoſophorum ſimul et medicorum conſpiratio jampridem in Gallia damnavit, eliminavit, atque utinam hinc etiam e patria noſtra eliminetur. Quid natorum diſtorta eſſe corpora, valga crura, compernia genua, teneram nimis valetudinem querimur, dum ad indulgendam mulierculae alienae, mercenariae ſegnitiem, eos ita faſciis involvi, legari, conſtringi patimur, ut neque humores per canaliculos diffundi, nec articulos agi-

tatione

tatione corroborari, nec membra motu vigere, nec totum denique corpus ſaluberrimo aëris fluxu recreari aut foveri fas ſit. Facilius ſcilicet ita conſtricta corpuſcula a nutricibus levantur, feruntur, vel in lectulos temere jaciuntur; dein etiam, quod ſummae eſt indulgentiae, hac ratione, rarius vel ſudor vel urina ſiccatur, vel ſordes abluuntur.

O teneri in nutriculas parentes, in natos duri!

Natura dies ineuntis primos vitae ſomno fere et quieti devovet; eo itaque tempore infantes non nimis ſolicitentur aut agitentur: Paucis autem ſeptimanis elapſis, tantum exercitationis, quantum per corporum teneritudinem licet, permittatur.

Omnium exercitationis generum illud optimum eſt cui nihil moleſtiae, et non multum fatigationis ſuccedere ſolet, ita ut cum puerulus firmis pedibus inſtare ſuſcepit, brachiis et pedibus, ut ſibi placeat, utatur.

Creſcente autem paululum aetate, nimia exercitatio et labor praematurus, aeque ac aër depravatus et vita ſedentaria, praeſertim apud pauperes, magno ſaepe detrimento fuit.

Conſuetudo pernicioſa infantes ſaturandi cibo, nec eos firmiores, nec ſtomachum ad varia alimenta digerenda

renda magis habilem reddit, quin potius viribus concoctionis nimio onere debilitatis, morbos jamjam dicendos generat.

Quam saepissime infantes fartis farinariis leguminibusque inflatos, pallidos, infirmos, asthmaticos, alvo astrictos, cernimus, quibus sane catharticis amaris et medicamentis aromaticis, potius quam mellitis placentis, matres mederi possint.

Quid mirum, si *semoti prius tarda necessitas lethi corripiat gradum*, cum ad morborum frequentiam gulae etiam accedat, inscia quaedam in tenerrima aetate intemperantia.

Morborum autem in hac aetate principes esse videntur, convulsiones ex quadam corporis irritatione ortae: Hujus irritationis sex vulgo causae recensentur.

Meconii retentio,

Cibi concoquendi difficultas,

Acor in intestinis,

Dentitio,

Vermes,

Criticae eruptionis repulsio.

Natura, infantum necessitatibus intenta, colostrum suppeditavit, quod vi sua cathartica efficacius medicamentis

mentis omnibus meconium abluet expelletque. Olea ac juſcula ex pane, aqua, et ſaccharo confecta, relegantor. Quod ſi valetudo adverſa matrem ab admovendo ubere prohibeat, medicamen optimum ex aqua cum paullulo ſacchari, vel mellis, vel, quod caeteris praeſtat, ſyrupi violarum, paratur.

Cum autem convulſiones a cibi concoquendi difficultate proveniant, cauſae ipſae difficultatis removentor. Hae duae ſunt, pernicioſa videlicet cibi qualitas, et nimia quantitas. Quantitate cibi diminuta, clyſteribus etiam ex aqua calida et medicinis catharticis adhibitis, ſublevantor.

Qualitas deinde cibi inſpicitor; ſi ex violentioribus animi affectibus, ſi ex potu immoderato aut generoſiore, ſi ex ſtatu menſium abnormi, nutrix uber inſalubre praebeat, eliminator, niſi forte lac depravatum emittendo, cauſam ejus depravationis evitando, clyſteres paucos et medicinas admovendo, ad commodam ſanitatem revocari poſſit.

Infans paucos dies a lacte abſtineto, juſculis levibus, quoad fieri poteſt, ab omni acore liberis utitor, infuſionem meliſſae ſubinde bibito; magneſia alba, clyſtereſque,

que, ſi caſus urget, adhibentor. Si qua alia noceant alimenta, vel denegantor, vel leviora redduntor.

Acor in primis viis, quae convulſiones excitat, ſaepe a debilitate ſtomachi, tanquam a cauſa remota, exoritur. In remediis proponendis, duo praecipue conſideranda ſunt, ſcilicet, qua ratione acerbitas expellatur, et qua ne redeat caveatur. Primum obtinebitur catharticis lenientibus cum ſyrupo violarum, ſecundum doſe magneſiae albae cum granis paucis cinnamomi commixtae.

Cum autem dentitio acutiore cruciamento convulſiones excitet, aegre quidem illae dimovebuntur; ipſi cibo minore etiam liquidiore ſalito utuntor: Medici alvum laxari, gingivas melle, mucilagineque cydoniorum ſeminum partibus aequalibus affricari, et radicem glycyrrhizae vel altheae ſugi mandique jubento.

Sin autem haec fruſtra fuerunt adhibita, gingivae inciduntor; nec me latet hujuſmodi inciſionem aliquando noxiam fuiſſe; verum in periculoſioribus caſibus nihilne periclitandum eſt, praeſertim cum uſu conſtet idem remedium, quamvis periculoſum, fuiſſe etiam multis ſaluberrimum.

Symptomata vermium valde numeroſa ſunt; unicum tamen eſt quod indicium certum praebeat, nempe eo-

rum ſurſum vel deorſum emiſſio. Multos morbos infantum, quorum cauſa latet, ignari vermibus attribuunt.

Hoc medici oderint, niſi certa ſymptomata, praeſertim ſupradictum, eorum praeſentiam comprobent. Cum illi abundent, convulſiones etiam abundare minime mirum eſt.

His laborantes, catharticis medicamentiſque vim digeſtionis roborantibus, ſublevantor. Pulverem baſilicum dictum, ex jallapio, calomelano, ſcammonioque confectum, in caſibus vermium ſaepe prodeſſe vidi.

Emplaſtrum etiam ex theriaca Andromachi in aloe ad infantum abdomen commode applicatur.

Ferri etiam praeparationes ad habitudinem vermes gignendi extinguendam efficaciſſimae ſunt.

Ab eruptionum repulſa calore modico cavendum eſt: Omnia pinguia vel aſtringentia evitanda ſunt.

Cum autem convulſiones ex hac cauſa prodeant, balneo calido, emplaſtriſque veſicatoriis, eruptionem pro viribus revocari oportet.

Convulſiones, quae variolas vel alias eruptiones febriles praegreſſae fuerint, raro multam ſollicitudinem exigunt, quum, eruptione emicante, plerumque evaneſcant;

cant; cum tamen vehementes sint, opii dose bene larga, ut a Culleno illustrissimo assignatum est, sedantor.

Tormina doloresque colici, ex quinque causis, modo commemoratis, provenientes, juxta ac convulsiones noxii eadem sollicitudine praecaveantur, eademque medendi ratione oppugnentur: Clysteres tepidi ex decoct. flor. chamem. et saponis cum fotu ex decoct. flor. chamaem. et theriac. venet. ad stomachum et abdomen applicato, pro praesenti dolentibus succurrent, quin et dolores ipsi, auctis infantum viribus, evanescent.

Paroxysmi epileptici, praesertim cum haereditarii gravissimi sunt, et quanquam eis nullum adhuc remedium efficax inventum sit, regimine tamen apto, medicamentisque irritationi corporis obsistentibus, multum praecaveri possunt.

Potiones soporiferae in morbis plerisque supra dictis cautissime adhibendae sunt; quamvis enim quietem perbrevem concilient, stomachi actionem debilitant, alvum sistunt, quantitatem urinae consuetam extenuant, et morbi aggressus multo deteriores reddunt; minuunt quoque nervorum sensum, qui quasi custos a natura, ad indicium periculi appropinquantis instituta est. Casus quibus opium aptissime admittitur sunt, 1mo, Cum

morbi

morbi cauſa ſit dimota, irritatione corporis tantum relicta; 2do, Cum mala neceſſitas ſimul urget, ſimul ea, quae cauſam morbi ſenſim extirpatura eſſent, adhiberi vetat; 3tio, Cum convulſiones ipſas terror quidam violentus aut repentinus incuſſerit. Atque haec de infantia infantumque morbis dixiſſe ſufficiat.

## PUERITIA.

Illam vitae partem quae a perfecta dentitione, uſque ad pubertatem pertinet, pueritiam appello.

Haec duodecim vel tredecim annos complectitur, quibus natura in ſexus utriuſque corpore commutationem mirabilem efficit, nunc firmius inſiſtere, nunc movere, nunc loqui, nunc diſcernere, nunc odiſſe, nunc amare addiſcimus. Nunc etiam ea, quae alterum ab altero ſexum diſtinguunt, tum habitu et forma corporum, tum moribus affectibuſque, clarius monſtramus; foeminae facultatem conceptionis partuſque, mares illam robuſtam firmamque corporis habitudinem, quae futura ſanitatis ſint fertilitatiſque fundamenta, adipiſcuntur. Nunc, ſi quando, modum in exercitationibus, modum in cibis ſervandum natura clamat; nec labore nimio opprimantur

opprimantur membra, nec nimia quiete et inertia langueant. Juvabit paulatim curſitare, equitare in arundine longa, nunc flagellis turbinem, nunc manibus pilam exagitare, lacte, et lacticiniis, oriza, et dapibus triticeis utantur, parce carnibus, vino parcius. Ab omni calidiore potu ciboque abſtinento, ne inflammetur aut violentius irritetur corpus; hocque magis caveatur, quo propius ad pubertatem attingere videntur.

Hac aetate, viribus auctis, morbi, quos infantiae proprios diximus, evaneſcunt; alii vero non minus infeſti exoriuntur, quos in doctiſſimi praecipue Culleni exanthematibus enumeratos videre eſt. Sunt et morbi inter illos quos tanquam naturae quaedam debita conſideramus, ut variolae et rubeolae.

Hujuſmodi eruptiones, quanquam ſaepiſſime videntur in juventam incidere, juventae tamen proprias eſſe minime dixerim. Omnium aetatum ſunt; ſerius, citius, malignus erumpit humor, et quo citius eo tutius erumpere videtur. Terribilem humani generis luem, variolas, noſtrae aetatis noſtraeque patriae medici et emollire et penitus edomare didicerunt; tantulo jam terrori ſunt, ut eas inſitione quadam ſeu inoculatione propagare non dubitemus; propagataſque ita extenue-

mus,

mus, ut neque ſui veſtigia ulla relinquant, neque aegri vitae, nec formoſi pulchritudini quidquam ſibi timendum eſſe judicent; et quiſquam ne medicorum artem parvi pendat, cum quae olim tanta millia corporum neci demittebat tabes ea, nunc vix denos aut vicenos quotannis conſumat.

## VIRILIS ÆTAS SEU MATURA.

Perfectae jam pubertatis ſigna ſunt denſiores circum genitalia pili, vehementiores genitalium erectiones, et nocturna ſeminis emiſſio. Omne illud tempus quod inter pubertatem perfectam et annum vitae quinquageſimum intercedit, tertiam aetatis periodum voco, ſeu aetatem virilem. Hac aetate ineunte, adhuc quidem philoſopho juvenes, ſeu pueruli videmur et nuncupamur, medico certe viri exiſtimamur et ſumus. Quidni? Totum enim jam evolvitur perficiturque corpus; jam maturum corpus foecunditate viget, jam ſui ipſius conſervationi, jam alterius procreationi, par eſt. Jam vere vivere incipit; infantia et juventa tanquam gradus

ſunt

ſunt ad vitam, quae quam longa foret! Si ipſi, ſi ipſi, inquam, per nos terminum breviorem non adduceremus. Ita a natura comparati ſumus, ſtructura haec admirabilis et elaborata qua formamur, ita firmis compagibus conſtat, ut non niſi longiſſimo temporis ſpatio diſſolvi poſſe videatur. Multa profecto ſunt infortunia, multi improviſi caſus, quibus ſubito diffringi evertique poſſit; *quid quiſque vitet nuſquam homini ſatis cautum eſt in horas;* hunc *truncus illapſus cerebro ſuſtulerat*, niſi celeritate evaſiſſet; illi caduca turris, huic uvae acinum vitam abrupit. Verum ad incertos eventus, ad elementorum aliarumque rerum vim improviſam et inevitabilem morborum etiam accedit injuria, quorum qui violentiſſimi ſunt frequentiſſime a noſtris ipſorum vitiis vires omnes derivarunt. Vix aetatem hanc vitae ingredimur, cum admiſſis habenis ad metam properamus; jam vino, jam veneri, jam voluptatibus omnibus indulgendo, fabricam vel ſenſim ſubruimus, vel aperta vi evertimus.

*Non mihi ſi linguae centum ſint, oraque centum ferrea vox, omnia morborum percurrere nomina poſſem*, quos nimia cibi potuſque intemperantia in corpus noſtrum induxit. Nunc aves, nunc piſces, nunc fructus, deglutimus.

mus. Nunc oleo, nunc pipere, nunc aceto, nunc ſaccharo, nunc domeſticis, nunc peregrinis condimentis, laborantem et oppreſſum ſtomachum irritamus, incendimus. Quantas neceſſe eſt fieri humorum agitationes, quantas et quam praeter naturam fermentationes, cum calida frigidis, dulcia acerbis, ſalubria noxiis, inſueta ſuetis, promiſcue ingerimus.

Philoſophus quidam Graecus juvenem ad convivia euntem, tanquam in certum exitium ruentem, aut inſanientem apprehenſa manu ad parentes reduxit. Num hodie minus amice ad dapes extructaſque menſas currentem abduceremus? Ablegatis conviviis, et intempeſtivo potu, quot ſimul ablegarentur hydropes, lethargi, febres, apoplexiae, cruditates lethiferae! Suppreſſa ciborum intemperantia, quot quantaeque ſimul radices morborum, quot mortis germina ſupprimerentur, evellerentur? Quam ordinem naturae pervertimus! Illa, cibos tanquam materiam ſtructurae conſervandae inſtituit, nos ita ingerimus, ut vel qualitate vel quantitate ingeſtorum eam opprimamus. Quoad quantitatem dicendum eſt, diverſam diverſis corporibus, pro ſingulorum temperie, convenire, ſed generatim illam maxime adhibendam eſſe, ſive potus ſive cibi, qua quotidiano

uſu et vegetiores, et fortiores, et promptiores ad quaelibet opera ſuſcipienda fuerimus. Quoad qualitatem cibi, adultis quidem major carnium copia, cum leguminibus tamen, et ſine omni ornatu parata, concedatur: Omnia vero alimenta ſtomachum ſtimulantia, multum ſalita, aromata, condimenta ablegentur.

Vinis generoſioribus rariſſime et parciſſime utendum; liquores ſpirituoſi, depravato tantum appetitui ſervientes, tanquam venena certiſſima vitentur. Potum natura non tanquam laetitiae, nedum ebrietatis, ſtimulum, ſed ſtomachi et digeſtionis adjutorem eſſe voluit. Aquam ergo, ut maxime naturae congruam, omnibus ſuademus, atque utinam perſuaſerimus. Cereviſia tenuis multum a Sydenhamo noſtro commendatur. Potio certe refrigerans, antiſeptica, et antiſcorbutica nequit non eſſe ſaluberrima. Huic maxime affinis eſt ſuccus ex malis expreſſus, quem in plurimis provinciis agricolae homines et pauperes quotidianis menſis adhibent.

Neque vero ſine ſociis Bacchus vitae noſtrum omnium inſidiatur; quae venerem comitantur voluptates auxiliaribus pariter armis in nos irruunt, quaeque ad vitam generandam ſapienter a natura inſtitutae ſunt,

ea lethifera vi ad eam et impediendam et deſtruendam conſpirant. Quam tetrae lues ex concubitu vago, quam acerbi dolores exoriuntur. Taceo partus illos, quibus reſpublica caelibe libidine privatorum ſpoliatur; illorum miſereor, qui vel naſcentes contagia lethifera, ex parentum vitiis orta, ſexcentorum germina malorum venis imbiberunt. His dum mederi volumus, quam ſaepe incaſſum omnia medicae artis praecepta exhaurimus. Saepe aliam pro alia cauſam eſſe horum morborum ſuſpicamur, et, ubi a venerea parentum lue, vel infantes, vel etiam adultos (nam uſque adeo diuturna ſunt illa contagia) laborare deprendimus, tantis difficultatibus implicamur, ut nec pater Æſculapius nec (ſit dicto venia) ipſe nos Apollo expedire poſſit. Nec concubitu tantum vago, maliſque inde ortis, effraenata libido virilem aetatem jam adultam impetit: Alio criminis genere, alia voluptatis ſpecie molles et effoeminati viri valetudini ſuae, et quidem toti naturae humanae, bellum indicunt. Illo ſcilicet luxu, quo ſe contaminare ſolebat Onan, et futurorum morborum fundamenta jaciunt, et turpem ſenſim generandi impotentiam ſibi ipſis inducunt.

Hiſce

Hiſce malis ſolum remedium eſt honeſtum et tempeſtivum matrimonium. Quam multi ſunt in hac aetate, qui, ſuperbia et inani quadam gloria aut avaritia inducti, uſque eo matrimonium inire recuſant, donec privata venere, et frequenti maſturbationis uſu depravati, naturali generationis facultate viduatos ſe eſſe ſero deplorent.

His gulae et libidinis fontibus derivata morborum turba in omne genus hominum fluxit. Hinc hujus priore periodi, de qua agimus, parte aucta firmitudine corporis et ſyſtemate plenius evoluto, diatheſis phlogiſtica, ut etiam illuſtriſſimi Culleni phlegmaſiarum ordo, prodire incipit. Alia quoque genera morborum, praecipue ex autoris dicti haemorrhagiarum ordine ſumpta, enaſci ſolent; quibus intelliguntur illae haemorrhagiae quae a plethora arteriali multum in hoc aetatis gradu vegeto proveniunt, quae etiam, provecta aetate, cum plethora valeat venoſa, aeque quamvis quidem diverſis corporis partibus emanant.

SENECTUS.

## SENECTUS.

Senectus, quae a natura tanquam ſemita quaedam ad terminum vitae molliter declivis deſtinabatur, nunc via praeceps fere et abrupta celerrime ad mortem ducit. Non jam leniter et ſenſim diſſolvitur aedificium, ſed evertitur. Corpora enim per intemperantiam aut priſtinos morbos debilitata, ubi quinquageſimum attigerint annum, ſi tamen attigerint, diſſolutis propere compagibus, ruinam trahunt. Qui ſine bona valetudine gradus priores vitae tranſegerint minime ſalubrem ſenectam agent. Ut proprii illis, ſic huic quoque gradui proprii ſunt morbi, diuturniores hi quidem et curatu difficiliores.

Imprimis, in illuſtriſſimi Culleni neuroſium claſſe multi morbi inveniuntur, qui hanc aetatem magnopere infeſtant; inter quos apoplexia, et paralyſis in corporibus plerumque leucophlegmaticis, ſyncope et palpitatio praeſertim, eum ab hydrocardio aut aortae oſſificatione originem ducant.

Hypo-

Hypochondriaſis quoque, et dyſpnoea aut aſthma pituitoſum multum eminent.

His praeterea, multi morbi in ejuſdem auctoris eruditiſſimi claſſe cachexiarum adjungi poſſunt, ſcilicet, atrophia vel maraſmus, qui quidem vix in hac aetate, niſi cum eo febrim hecticam junctam habeat, pro morbo exiſtimari poteſt.

Anaſarca, quoque, hydrothorax, et aſcites aliquando affectioni tympaniticae conjunctus.

Inter multos quoque morbos localibus proprios, enureſis recte recenſeri meretur, quae, ex glandis proſtatae ſchirroſitate plerumque profluens, aegre ullo remedio auſcultet.

Certe non medico perito latet, has morboſas affectiones, et quidem fere omnes aetate provectioribus communes, in debilitate plerumque et ſenſuum hebetudine multum conſtare.

Minime liceat autem unum morbum, etiam ex ordine phlegmaſiarum deſumptum, praeterire, inflammationem nempe inteſtinorum; hic malus ex glandulis mucoſis inteſtinorum exſiccatis aut deletis (quod ſenecta accedere ſolet) oriri fertur; ſed venaeſectione, laxan-

tibus

tibus infra et ſupra adhibitis, regimine antiphlogiſtico, et balneo tepido, plerumque depellatur.

Non tamen exiſtimandum eſt, omnes hoſce morbos omnibus ſenibus eſſe communes. Cum qui ſobrie et caſte priorem aetatem tranſegerint, neque ſuis neque parentum ſuorum vitiis ſanguis caeterique humores corrupti fuerint, eorum profecto ſenectus neque miſera, neque morborum cruciatibus exagitata, abrumpitur, ſed tempeſtiva maturitate diſſolvitur.

Quam pulchre Cicero: ‘*Vivendi*, inquit, finis eſt optimus, cum integra mente caeteriſque ſenſibus opus, ipſa ſuum eadem qua coagmentavit natura diſſolvit. Ut navem, ut aedificium idem deſtruit facillime, qui conſtruxit; ſic hominem eadem optime quae conglutinavit natura diſſolvit. Jam omnis conglutinatio recens aegre, inveterata facile, divellitur.’

Quoniam igitur ſenectus paulatim vitam ſubruit, reſiſtendum eſt ſenectuti tanquam morbo. Ut idem ait, ‘Habenda ratio valetudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum cibi et potionis adhibendum ut reficiantur vires, non opprimantur.’

Nec exempla deſunt eorum, qui, quamvis infirma videbantur valetudine uti, modica tamen exercitatione,

et

et temperanti cibo potuque, vitam ad longiſſimam uſque ſenectam produxerunt. In his Galenus, et recentius Cornaro, qui ſapienter adeo regulas temperantiae, quas nobis ſcriptas tradidit, ipſe obſervavit, ut ultra centeſimum annum aetatem ſanus validuſque protraxerit. Carne vitulina, vel haedina, vel ovina, vel ejuſmodi leviore cibo veſcebatur, juſculis etiam cum pane et ovis; quin, cum jam provectioris eſſet ſenectutis, aliquando vel dimidio ovo ſaturatus eſt. Ita viventi, adhuc ‘ integra mente caeteriſque ſenſibus opus ipſa ‘ ſuum eadem quae coagmentavit natura diſſolvit.’

Nec tacitus hic praetermittam virum quemdam noſtrae etiam aetatis, qui in comitatu Eboracenſi, lacte praecipue et pane ſubacido nutritus, decimum ſeptimum ſupra centeſimum annum vivendo explevit.

O felicem ſenectam, temperantiae alumnam, feliciorem et diuturniorem, ſi temperantiae manſuetudinem, tranquillitatem, et litterarum otium adjungat. Nam, quae ad ſedandos animi affectus valent, multum etiam ad confirmanda corpora conferre ſolent; ‘ et in ſtu‘ diis literarum viventi non intelligitur quando obre‘ pat ſenectus. Senſim ſine ſenſu aetas ſeneſcit, nec ‘ ſubito frangitur, ſed diuturnitate extinguitur.’ Atque

que haec de utroque ſexu pari jure intelligenda eſſe cenſeo; nunc, quae ad foeminas ſpeciatim attinent, pauca adjungam.

## DE FOEMINIS.

Conſtructio foeminei corporis, quod ad foetum concipiendum, alendum, expellendumque a natura deſignatum eſt, eas fluxui periodico ſubjecit, qui in initio ex retentione, in progreſſu et ex ſuppreſſione et ex abundantia, et in diſceſſu ex ipſa ceſſatione, cauſam non raro morborum praebere ſolet.

Puellae, a decimo quarto ad decimum ſextum aetatis annum, quo tempore fluxus uſitate primum prodit, ejuſdem retentione ſaepiſſime exagitantur.

Retentio autem haec exoritur ex quadam ovariorum affectione, quae impedit tentionem et ſtimulos ad actionem partium uterinarum excitandum et fluxum menſtruum ejiciendum neceſſarios.

Quam opinionem quidem, tum debilitatis univerſalis ſymptomata, quae in hoc morbo revera appareant, ſta-

tui

tui uteri morboſo certe attribuenda, cum medicamenta tonica quibus depellantur firmare videntur.

Quo ex ſtimulorum defectu efficitur etiam ut ſyſtema totum in habitum torpidum flaccidumqne delabatur. Hac igitur aetate puellae cautiſſime valetudini ſuae conſulant. Nunc diverſis exercitiis indulgendum, nunc, ſi quando,

"Pede libero pulſanda tellus; nec morem in ſalium
"ſit requies pedum."

Frequentibus et temperatis choreis non aliud reperire eſt ſalubrius exercitium. Melius his quam pictis chartis, ſuſurris, et teneris amoribus, veſpertinas horas impendent. Quod, ſi procliviores ad chloroſin videantur, balneis frigidis utantur. Cum autem illa praeſens inſtat, non ſolum remediis ſupra dictis, ſed medicamentis tonicis, (inter quae multum chalybeata prae caeteris valent) medendum eſt.

Ex multis quae apud autores ad fluxum menſtruum excitandum ſtimulantibus medicamentis inveniuntur, pauca ſunt quae ad id conferant, et plurima quae etiam magis obeſſe quam prodeſſe ſolent. Medicamenta autem ex aloe cathartica quibuſvis aliis praeferenda eſſe videntur. Eorum enim ſtimulus praecipue in inteſti-

num rectum exeritur, et ab illo inteſtino in uteri regionem infertur.

Aliquando etiam impetus a machina electrica excitos, et in uterum incuſſos, ſaluberrimum effectum habuiſſe vidi. Suppreſſio fluxus menſtrui, ex vaſorum uterinorum conſtrictione enaſci creditur. Haec autem conſtrictio a frigore praeſertim cum humiditate, ab animi affectibus, a dieta frigidiore cum indigeſtione, ab eadem nimis calida, ab exercitatione diu protracta, aut pervigilio, oriri poteſt.

Tria haec ultima debilitatem quamdam corpori inducunt, et illa debilitas menſtrui fluxus ſuppreſſionem; ſed hic morbus ſymptomaticus tantum dicatur, et iiſdem remediis quibus retentioni, debilitati obſiſtere oportet.

Suppreſſio ex conſtrictione, ut frequentiſſime fieri ſolet, uteri arteriarum orta, balneo calido, diu continuato, maxime ſublevari poteſt.

Menorrhagia vel fluxus menſtruus praeter naturam auctus, non tam quam amenorrhoea frequens eſt. Oritur a cibo nimis, a vino et liquoribus ſpirituoſis copioſe et frequentius ſumptis, ab animi affectibus vehementibus,

mentibus, a casu fortuito, a conatibus ad alvum evacuandam nimis strenuis, qui certe uterum ex intestino recto propinquitate non potest non laedere, a frigore pedibus admoto, vasa uteri irritante, a venere immodica, a concubitu tempore menstruationis, ab abortionibus, a parturitione in qua infans ab uberibus prohibetur, a puerperiis etiam lentis difficilibusque, quae impetum haemorrhagiae, aut uteri vasorum auctam actionem ex maxima parte inducunt, cuique venaesectione, temperantia, et quiete, cum lenientibus catharticis, medendum est.

Cum autem menorrhagia ex vasorum uterinorum laxitate procedat, iisdem remediis quibus amenorrhoea removeri potest. At vero quibus signis discernendum est, num menorrhagia haec ab nimia actione systematis uterini, an ab nimia ejusdem laxitate oriatur? Scilicet, symptomatum quae actionem auctam indicant absentia, corporis debilitate, morbi reditu crebro, et speciatim leucorrhoea in menstruationis intervallis.

Omnis irritationis occasio studiose evitanda est, et cum haec gradu maximo extet, opium, sed caute et prudenter, adhibendum est.

Morbum

Morbum autem leucorrhoeam (cujus mentionem jamdudum injeci) ut tam ſaepe et graviter ſexui amabili infeſtum, mihi fortaſſe vitio verti poſſet toto ſilentio praeterire, et propria quidem experientia, non contra eam remedium efficaciorem quam vitriolum album in uterum injectum, et per os ſumptum, exiſtere affirmare poſſum, et certe quantitate multo majore quam quod plerumque adhuc dari liceat, ut in caſu nuper a peritiſſimo et eruditiſſimo medico Londinenſe tractato, mihi videre contigit, in quo ſcrupulae duae, granis quatuor exceptis, in trium dierum ſpatio, ſumptae fuerant, et hoc modo per longum tempus repetitae ſine ulla quidem nauſea, ut certe parum ventriculo offendit, ſi aromatica eodem tempore liberaliter adhibeantur : Ad alvum tardam (quae ſaepe hoc morbo contingere ſolet) ſublevandam, infuſio aloes in aqua bulliente, et poſtea per chartam colata (haud dubie ad aloen a reſina quae continet liberandum) ab eodem viro egregio praecipiebatur, et non aptius quidem medicamentum laxans inveniri poteſt.

Evacuationes menſtruae, rare diutius quam annos triginta et quinque perſtantes, inter annum quadrageſimum

simum quintum et quinquagesimum evanescunt. Interdum quidem ante hunc aetatis terminum cessantes cernas; rarissime vero post eum evolutum durantes. Harum cessatio crisis est multae plena molestiae, laboris, et periculi.

Si subito cessent, et foemina vel ante vel post cessationem insolita haemorrhagia non laboraverit, venaesectio praescribatur, et sexto, quarto, vel etiam tertio quoque mense, repetatur. Quantitas quoque cibi animalis potusque spirituosi minuenda, exercitatio augenda, et medicamenta ex cremore tartari vel infuso sennae in tamarind. adhibenda. Medicaminum astringentium usurpatio, ut ad uteri cancrum gignendum apta sit, ita etiam pernicioſa, et non nisi cautissime praescribenda est.

Si autem foeminae his discedentibus superstites fuerint, diaetae aliarumque rerum regimine auspicato meliore quam antea valetudine utentur.

Graviditas et partus, cum mater imperite tractetur, saepe multorum malorum sunt causae.

Venae frequens sectio non adhibeatur, nisi in habitu corporis robusto et plethorico, ubi mulier gravida stomachi doloribus cum vomitu, cephalalgia, odontalgia,

et lumborum cruciatu laborat. Si autem cruciatus ille lumborum ad femora uſque et imum ventrum pertinet, abortum minitatur.

Omnis irritatio caute evitanda, atque adeo culcita etiam lanea vel ſtraminea plumeae praeferenda eſt.

Cum autem dolores partus maturo tempore ingruunt, ignari puerperam cardiacis et medicamentis aromaticis ad partum, ut aiunt, promovendum, et debilitatem removendam, ſedulo nimis ingurgitare conſueſcunt: Sed hic tractandi modus tantum abeſt a promovendo partu ut eum difficiliorem reddat; uterum enim et eas partes, per quas foetum tranſire neceſſe eſt, calefaciendo efficit, ut neque hic ſe contrahere, neque illae prae tumore ſe dilatare poſſint. Debilitas autem haec aromatum et vini neceſſitatem nullo modo comprobat: Vires parturientis non tam facile ac vulgo exiſtimatur exhauriri ſolent: Verum eſt, leviores dolores aliquanto vires debilitare; ſed eae auctis doloribus etiam ipſae augentur, neque unquam penitus deficiunt, niſi forte in caſibus quibuſdam praeter naturam inauſpicatis. Conſtat enim debilitatem ſolam nullo modo in muliere ſana et bene formata partui obſtare. Patientia ſane in partubus tardis non nimium commenda-

ri poteſt; tempus conveniens ad partes relaxandas detur; ſi autem diatheſis inflammatoria moram partui afferre putetur, venaeſectio ad moram abrumpendam valebit. Medicamentis catharticis et clyſteribus emollientibus alvi aſtrictioni per totum tempus ſubveniendum.

Unam partus difficillimi quamvis remotam originem hic praeterire nequeo, conſuetudinem illam intelligo abdomen et thoracem tam arcte aſtringendi, qua certe pernicioſior nulla ſexui foemineo inveniri poteſt. Dum exilio-resvideri volunt, et reſpirationemliberam impediunt, digeſtionis organis vim magnam inferunt, partibus obſtant, variorumque morborum, ut ipſe in corporum diſſectionibus animadverti, fundamenta jaciunt.

Haemorrhagia immodica, uteri inflammatio, et lochiorum ſuppreſſio, partum nonnunquam conſequuntur, ſed venaeſectione plerumque ſubleventur; cum autem haemorrhagia vehemens eſt, medicamina frigida abdomini, lumbis, et femoribus, applicare oportet.

Mulieres quae praemature ad laborem redeunt ex ſuppreſſa perſpiratione et lochiis in magna pericula ſe conjiciunt; hinc in mammis lactis ſecretio multum perturbatur, tumores lactei ſeu tuberes formantur; cum

hi

hi femoribus incidant, medicamento cathartico et cataplasmate ex micis panis albi et sapone solvantur: Cum autem in mammis nascuntur, ne in cancros aliquando abeant timendum est; eos igitur ni mox cicutae aliisque laudatis medicamentis cedant, scalpello extirpari oportet.

Puerperae quidem haud dubie melius saluti consulerent, si infantem uberibus admoveri frequentius quam fieri solet sinerent, quod sane eas a multis morbis aliter nimis apte incursuris immunes praestet, ut videre est in libro illo eruditissimo ac elegantissimo de conspectu medicinae theoreticae a Gregorio nostro professore scripto.

Et quoniam jam satis de singulis, quae mihi tractanda erant, verba feci, restat ut maximas agam gratias doctissimis hujus Academiae Professoribus, qui operibus suis et studiis fecerunt, ut ad eam rerum medicarum scientiam attigerim, quae mihi exoptati honoris et gradus sperandi locum dedit.

Meis vos precibus favete, qui spem dedistis. Valete, et reliquis omnibus medicinae arcana investigantibus, ut hucusque fecistis, facem praetendite.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1785
R1